

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. XLV.

M. LUDOVICO PATHIOT,

Doctore Medico, Præſide.

An præcavendis Senum morbis venæ ſectio?

I.



NON pauca certè declinaremus incommoda, & fatum quod juvenibus in propinquo, ſenibus ipſomet in limine eſt, ante diem non obreperet, ſi quantus in profligandis (dum nos exercent) morbis, tantus in iiſdem præcavendis labor impenderetur. Amiſſam ideò ſanitatem ut ægrè recuperare, ſic præſentem facilè ſervare, & ad extremam uſque ſenectutem producere licebit, modò, quos in victûs ratione feceris errores, Medicis penſare ſtudeas auxiliis. Morbos etenim ita conſtat, Medicinæ opera præcaveri, ut nulla forſitan Artis hujuſce pars certior videri debeat, quàm ea, quæ ſanitati regulam ponit. Peſſimè nobiſcum ageretur, ſi nullâ ratione, mala prævideri poſſent; ſigna proindè nonnulla ferè ſemper indicant, quæ nobis immineant pericula. Iſta ſæpè, ex negligentiâ, robuſto corpori nimiùm præ-

fidentis, sæpiùs ex ejusdem intemperantiâ prodeunt. Mortalibus igitur neque sex rerum non naturalium abusu, nec immoderatâ voluptate peccare contingat; & ipsi perpetuo valetudinis robore fruentur. Ex hoc duplici fonte manant omnia quibus undique premuntur incommoda. Singula recensere si lubeat, quantum exoriatur agmen! Arthritis, rheumatismus, apoplexia, catharri, plurimique affectus, & Aulicis & Plebeiis familiares. Quosdam tamen ex iis, apud eos qui duriorem exigunt vitam, non adeò frequentes esse fatendum est. Illa etiam, imò sanitas athletica, non nisi sanitatis dispendio, interdum servari potest. Eam proindè, sine morâ, vasorum evacuatione redimendam censet Hippocrates. Dum autem morbos, quantum in nobis est, volumus præcaveri utilem omni pariter ætati legem imponimus, senectuti verò necessariam. Quem enim lateat, severiores hominibus adhibendas esse cautiones, eo præcipuè tempore, quo moram contrahere liquores, crudior exprimi chylus, & viscidior fieri sanguis incipit; dum intereà, partes solidæ minus flexiles, obeunda ferè detrectant officia, vel ea lentiùs absolvunt?

I I.

QUOS jam longior annorum series, artibus, disciplinis, vel rerum usu & experientiâ multiplici commendavit, horum corpora non mediocriter debilitata fuisse certissimumest. Uberiori vero scientiarum copiâ, nunc redempta bene judicatur brevissimi temporis fuga? Fervidior in juventute turgidiorque spiritibus sanguis, vasa mollia è quibus constat corporis universa compages, vividiùs præterfluit. In senectute, quæ quidem ipsa morbus, & tabis genus dicitur, durescunt partes, minori pollent elaterio, rigidiores, & contractionibus exercendis impares fiunt. Hinc stagnare liquores, & inspissari, impedito vel potiùs cessante quadamtenùs motu cujus perrenitate sanitas vigebat. Quanta indè senem circumveniunt incommoda, tentatur caput vertigine, hebescunt sensus, thoracem quatit prava, & in senectute vix sanabilis tussis. Pulmo viscus sangui-sorbum subigendi, terendique chyli instrumentum, elaterio imminuto difficiliùs contrahitur; nec satis expresso, crudo, viscido, tenaci nimis sanguine, peripneumoniâ, pleuritide, asthmate tentatur. Renes senum calculus, vesicam dysuria, artus diathesis Rheumatodes, articulos nodosa chiragra, podagra vexant. Si cruor ventriculi alimentis infarcti vitio interceptus concreverit, cardialgiâ, syncope momento suffocantur. Gelidus præterea sanguis cutem urit pruritu & malignâ impetigine. Quam plurimis obsita senectus patet infirmitatibus, inde febres quartanæ, cachexia, hydrops. Si morbos numeres, innumeri; causam interrogas? Sanguis tardiùs fluens, succorum quos involvit tenax, secretioni impar, in angustiis vasorum impactus, morâ diuturniori, morbis pluribus ansam præbet. Idem ipse, impeditâ circulatione, motu intestino brevi incandescens, ignem latè spargit, & sic febribus, acutis affectibus, inflammationibus viscerum largitur originem.

I I I.

QUANTUM ad morborum medelam valeat victus ratio satis notum est; & Celso, Hippocratis interpreti fides adhibenda, qui delineatis ferè omnibus morbis, cæteros enarraturus, dixi inquit, *de his quos victus ratio maximè curat.* Quantum eadem conferat ad præcavenda vitia corporis, explicat satis sequentibus verbis: *Veri-simile est primis temporibus inter nonnulla auxilia adversæ valetudinis plerumque, eam bonam contigisse, ob bonos mores quos neque desidia neque luxuria vitiarant, quos neque inquieta cogitatio, nec nocturnæ vigiliæ minuerant.* Et certè plerumque pessimo victûs genere sanitati detraximus. Quem blandæ vo-

luptatis illecebræ aliquando non irretiunt? Ad omnem ictum nos exponit innata imbecillitas, frigore, æstu, labore offendimur; sed ut plurimùm, potu & alimentorum copiâ rumpimur. Vis esse beatus? Ad cibum & potum, ut vitæ, sic mortis viaticum, non tanquam ad vas implendum, accede: sic alimentorum temperantiâ, plusquam eorum usu vitam perages. Exiguum desiderat ventriculus, immensum opinio. Qui sobriè degit nec causarias habet partes, tam vacat omni morbo, quàm humorum cœno. Frigus, æstus, externarum causarum vis, aër etiam pestiferus languescet; ubi nil adjuvabunt inquilini hostes. Eâ victûs ratione simplici, ut morum innocentiam, sic vitam jucundam tuebantur Cœnobitæ, ipso anno centesimo sani. Verum ut ætas parentum, pejor avis tulit nos nequiores, imbecilla jam tractari molliùs vult, adeoque nostræ obsequimur intemperantiæ ut eam excusare potiùs quam excutere malimus. Neque mirum, si victus ratione, ubique terrarum obliteratâ, tùm ad morbos depellendos, tùm sanitatis tuendæ gratiâ, ad Medicinæ auxilia quæ superfluos detrahunt humores, maximeque ad venæ sectionem, tanquam ad sacram anchoram confugiendum sit.

I V.

QUANDOQUIDEM ad omnes œconomiæ ritus exercendos faciunt maximè fluxiles succi, tuborum elasticitas, deficiente inter ipsos consensu, quanti quæso prætii censenda venæ sectio, quæ cum solidis fluida conciliare potest? Sanguine detracto, laxantur fibræ, remittitur vasorum elater, & horum flexilitate restitutâ, par ubique speranda veniet humorum fluxilitas. Et certè hujus auxilio, cuncta ad fluendum paratiora fieri, quis non animadvertat; adeò ut vel sub ipsâ sanguinis missione, sponte sæpiùs solvatur alvus, & bonis ægri rebus; sæpè sudores profluant, urina liberiùs evehatur, & crisi salutiferâ morbus tollatur? Venæ sectionem cæterarum evacuationum vicem supplere, Autor est Hippocrates; exuperantis sanguinis redundantiam, senibus, præsertim iis qui lautè vivunt, frequentem & maxime metuendam, momento tollet. Tubis vasorum extra tonum distentis pristinum restituet elaterem, facili alveo fluidior factus cruor excurret liberiùs, sequetur secretio secura sanitatis assertrix; eadem ad catharsim, quæ opus est majoris prudentiæ, felix præparatio judicatur. At incommoda, quæ venæ sectionem sequuntur, si animo revolvas; vix ulla: cum sanguinis reproductio difficilis non sit, nec novus veteri deterior. Quis te malus agit genius hæmophobe, ut quasi anima in Empedocleo sanguine mersa foret, cum ipso vitam minui putes. Illi seni meliùs consultum credas, qui curet vitam dicto modo. Contingetque cum minori periculo & dolore eam producere, renovato interdum sanguine, quod superfluum est detracto; quam illi qui errore & falso terrore seductus, imprudenter finit ob nimiam sanguinis copiam, vitam extingui ac suffocari; ignarus senibus plus esse virium in conficiendo sanguine ad alendum corpus in singulos dies, quàm in expellendo inutili; sed alimentorum, ut sanguinis maxima pars, in auras abit. Non itaque annos numera, antiqui, inquit Celsus: *Primam ultimamque ætatem sustinere non posse hoc genus remedii judicabant; sed interest non quæ sit ætas, sed quæ vires sint; firmus puer, & robustus senex tutò venæ sectionem ferunt.* Assigna si potes, quid efficaciùs venæ sectione juvet senes, eorum consulat sanitati tutiùs ac citiùs, imò & jucundiùs.

V.

QUOTIDIANO corporis defectui, qui naturalis quidem at certè gravis est morbus, veriùs quædam senectutis prolixitas, non aliter mederi potest homo, quàm si potûs, cibique adminiculo resarciat, quidquid de illius succo continenter decedit. Senes quos jam destituit ventriculi tonus, fermentorum activi-

tas, ſanguinis & humorum fluor, tranſpirationis aſſiduæ effluvium, quo propiùs ad vitæ terminum accedunt, his vita paucioribus, coctu facilioribus alimentis eſt ſuſtendanda. At ut vix quiſquam, qualem debet, ſervare victûs rationem poteſt, aut ob negotiorum molem, aut eorum quæ agenda ſunt ad ſanitatem, ignorantiam, vel ob negligentiam & intemperantiam, hos intactos morbis perdurare impoſſibile erit in ſenectâ, in quâ velut ætatis hyeme, plurimorum morborum procellæ præſto ſunt, niſi quod deficit in victûs ratione, ſectione venæ ſuppleas. Præſidium nihilominùs haud trahendum in conſuetudinem; minimè propter conſuetudinem, religiosè certo tempore repetendum; ſed interdùm celebrandum, præſertim ſi lautè vivat ſenex, ſi pleniori ſit habitu, ſi ſuppreſſus ſit hæmorrhoidum fluor, ſi quod ferè ſemper contingit, ab oppreſſis, non exolutis viribus morbus immineat. Sic caput à vertigine, apoplexiâ, lethargo in ſomniculoſâ ſenectute vindicabis; ſic ſuppreſſas hæmorroides, arthritidem ſæpius criticam revocabis; ſic bonum habitum, ſenibus ſæpius lethalem, divini ſenis mentem ſequutus, ſolves haud cunctanter, quo rurſus initium novæ nutritionis corpus ſumat; ſic in plethoricis catarrho ſuffocante à ſanguine ſtagnante, vel etiam à ſaburrâ in ventriculo occurretur. Sic inflammatorios morbos quos parit inertia humorum, & eorum inteſtinus motus, præcavebis. At mulieribus menſtruis ratione ætatis deficientibus, quot incommoda, quot graves morbi venæ ſectione ſæpiùs repetitâ præcidi poſſunt? Sic licebit in pleriſque prophylaxeos ſcopum attingere, morbumque imminentem propulſare, nec ſenectus quidem quæ ſolvit & frangit omnia, omnibus functionibus impar videbitur; puro lumine, quidquid contra hæmophobi obgarriant, vigebunt oculi, & hâc ratione floridior continget nulli non optata ſenectus. Quòd ſi tandem eò venerit ætas, quò vel cunctantibus veniendum, quò ſatietas vitæ, tempus maturum morbi affert, tam placidè è vivis excedet, ut obdormire, non emori videatur.

Ergò præcavendis Senum morbis venæ ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Perſon.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Joannes-Stephanus Guettard, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Cenſor Regius.

M. Natalis-Maria de Gevigland.

M. Franciſcus-David Hériſſant.

M. Antonius Bergier.

M. Antonius de Juſſieu, Regi à Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Pruſſiæ ſocius, Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor ac Demonſtrator.

M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martinenq, Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor deſignatus.

M. Franciſcus-Maria Pouſſe.

Proponebat Pariſiis DIONYSIUS-CLAUDIUS DOULCET, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A.R.S.H, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.